
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

40². – 399.

LN 596

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

EPICEDION

DE OBITV IL-
LVSTRISSIMI GENE-
ROSISSIMI AC PIENTISSI-
MI PRINCIPIS ET DOMINI,
DOMINI IOHANNIS SENIO-
RIS, HAEREDIS NORVAGIAE,
DVCIS SLESVIGAE, HOLSA-
TIAE, STORMARIAE ET DIET-
MARSIAE, COMITIS OLDEN-
burgenſis & Delmenhorſtenſis, quo vita & mores tam rari & digniſſimi principis perſtringuntur.

AVTHORE

OTHONE FABRITIO
CIMBRO.

SLESVVIGÆ

EXCVDEBAT NICOLAVS
VVEGENER.

CIↃ IↃ LXXXI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

B.R.H.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

ILLVSTRISSIMIS

AC GENEROSISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DOMINIS ADOLPHO QVINTO PATRI, AC FREDERICO tertio filio, hæredibus Noruagiæ, Ducibus Slieſuigæ, Holſatiæ, Stormarſiæ ac Dietmarſiæ, Comitibus in Oldenburg & Delmenhorſt, dominis ſuis clementiſsimis.

CVM Deus affectus humano, incendia, cordi
Naturæ indiderit ſemina ſacra ſuæ,
Quis pietate graues, qui nos genuere, parentes
Lugemus caſſos lumine præ reliquis,
Et lachrymis charam ſublatam funere prolem
Proſequimur queruli mæſtitiaq́ graues,
Tum quos fraterno naturæ fœdere nobis,
Vel quouis propius ſanguine iunxit amor:
Non dubium eſt tacitos te corde fouere dolores,
Cum ſobole illuſtri, fortis Adolphe, tua,
Quòd frater patruusq́ pius, virtute perennis
Naturæ ſoluit debita veſter ἄπαις
Quem nunc ſolenni comitantes more, ſepulchro
Inferri mæſtis cernitis exequiјs,
Et cui poſtremum lachrymis præſtatis obortis
Offitium, digno viuere ſæcla Noæ.
Humanum eſt fateor cognatos plangere luctu,
Naturæq́ leues corde dolere vices:
Sit tamen in lachrymis modus, & ſint denique fines
Mæſtitiæ, quos eſt tranſiliſſe nefas.

 Hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Hinc ego, quò poſſem conceptis funere curis
Cordaq; triſtitia veſtra leuare parùm,
Principis illuſtris fratris, patruique fidelis,
Me iuuit vitam laude notare breui,
Qua, gemitus inter conceptos pectore, lecta
Fortè aliquid quod vos exhilerabit, erit,
Et quod turbatæ ſolatia funere menti
Præbeat, & curis triſtia corda leuet.
Perlegitote duces naturæ ſanguine Vati
Coniuncti, memores vatis & eſte mei.
Et tu præcipuè præcocis acumine mentis
Eſto memor patrui, dux Frederice, tui.
Hunc imitare ducem, virtutibus æmulus huius
Inſiſtas, teneris ſuetus ab vnguiculis.
Et monumenta viri præluſtri mente reconde
Et patrui mores indue, macte, pios.
Viuite fœlices longæui Neſtoris annos
Et pater, & digni viuere, nate, diu.
Et vobis vitæ contexant tempora Parcæ
Cana, nec in ſeros ægra futura dies.
Vt ſub tranquillis eccleſia vera lacertis
Creſcat & in veſtris cana ſeneſcat agris.
Et populi paßim veſtris coaleſcet in aruis
Alma ſalus, fruſtrà Marte ciente tubam.
Stirpis & æternùm decus indelebile veſtræ
Non cadet, Holſatiæ Sleſuiciæque ducum

Veſtris Illuſtriß:
Celſi:
Subditißimus
Otho Fabritius Cimber.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

INter certa Dei præſagia vindicis iræ
Prodigia, innumeris vndiq; viſa locis,
Nempè quod ardentem cauda radiante Cometam
Vidimus, augurium cladis in orbe grauis,
Nuper & effluxo, quo viui exceßimus, anno,
Horribili incenſum vidimus igne polum,
Et vario cœlum diffindi ardoris hiatu,
Ac rutila haſtatas pingere nube faces,
Quin quòd & à Marſis qui Cimbros diuidit amnis
Non procul à ripis Eidora curue tuis.
Holmia ſanguineas tellus ſtillauerat vndas,
Et mixti fuerint ſæpè cruore lacus.
Nuper &, horreſco referens, propè flumina Trenæ
Piſta ceres preßi ſanguinis inſtar erat:
Et ditione, maris rapido quæ fluctuat æſtu
Inſula ab Arctöo littore nomen habens,
Præco ſacri verbi extractam fornace placentam
Sanguine conſperſam comperit eſſe domi,
Et licet abſurdum, fidei credatur & expers,
Non tamen hoc viuis teſtibus vſq; caret.
Mactatæ, in tepidum eſt caro transformata cruorem
Cocta recens igni dùm maceratnr, ouis,
Et ſcrobs quæ patuit quingentas circiter vlnas
Sanguine pro lympha plena reperta fuit.
Adde quod & ſobolem mulier ſit nixa minacem
Auriculis, plantis quatuor, & manibus:
Vix etiam nondùm completo menſe recenter
Hæc eadem craſſo terra cruore pluit.
Hoc quoque non minimum eſt, offenſo numine ſignum
Excidij propter crimina noſtra grauis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Quando magiſtratus letho rapiuntur amaro,
Res quorum vita publica fauſta ſtetit.
Nam plerunq; ſtatus, defuncto principe, regni
Deficit, & formas induit vſque nouas,
Et ſequitur domini & populi mutatio præceps,
Et ſine lite nouas vix adit alter opes,
Quin Deus ipſe pios ad ſe trahit antè Dynaſtas,
Quàm videant pœnæ damna futura grauis.
Ergo nos obitu meritò moueamur Iannis
Holſatiæ inſignis Sleſuiciæq; Ducis,
Et patriæ patrem lachrymis plangamus obortis,
Quo non hoc ſæclo iuſtior alter erat.
Quem neque virtutis neque relligionis egentem
Neſtoreos dignum viuere adusque dies,
Abſtulit heu nimium citò mors inopina cadentem,
Et Deus ætherei traxit ad aſtra poli.
Si quid & hoc dempto nobis fera fata minentur
Excidij, vt pœnas terra polusq; notent,
Intenti precibus flectamus corda Tonantis
Et veniam, & tremula voce precemur opem:
Vt cladem auertat natis, omenque ſecundet,
Et rabido ſcopas concremet igne pater.
Tum mores vitijs purgemus, & effera vitæ
Flagitia in melius vertere quisq; velit.
Nam facilè precibus placatur numinis ira,
Diuaq; conuerſis gratia larga patet.
Nunc quoniam exequijs ſummum præſtamus honorem
Et funebre Ducis ritè ſacramus opus,
Quanta ſit humanæ leuis inconſtantia ſortis,
Vitaq; quam curſu præpete fluxa volet,

Impliciti

Impliciti curis, animo meditemur amaris
Et cuiuis ſubeat mortis imago ſuæ.
Fata manent cunctis, mors rerum linea ſumma eſt,
Et ſequitur corpus. mors velut vmbra ſilens.
Quo pius AEneas, quo Iulius ſacer, & Ottho?
Qui Romæ princeps ordine trinus erat?
Quò Carlus celebris, totius arbiter orbis?
Et ſacer hoc quintus nomine Cæſar erat?
Quo Friderice potens ditionibus, æreque diues
Qui Daniæ ſceptro nunc moderaris agros?
Quo tuus inſignis genitor pietate fideq;
Qui duplicis quondam Rex regionis erat?
Quò tuus acer auus triplicis rex inclytus arui
Quò tuus illuſtris, fortis Adolphe, pater?
Omnes nonnè rapax mors funere merſit amaro
Et ſubter luteam fornice clauſit humum?
Scilicet huc omnes, metamq; meamus ad vnam,
Cunctaq; ſub leges mors premit æqua ſuas.
Non hæc grandæuis, nec parcit auara iuuentæ,
Ad mortem cuiuis recta terenda via eſt.
Nam licet à domino ſeruus diſcrimine diſtet,
Sunt tamen hac lethi conditione pares.
Effera mors regum ferit æquè calce potentum
Atria, quam tenuis paupera tecta domus.
Nec genus, & ſeriem veterum diſcernit auorum,
Eſt quoque principibus mors adeunda viris.
Nec te nobilitas, nec te facundia, nec te
Martia vis, nec te morte tuentur opes.
Si quem nobilitas potuiſſet morte tueri,
Cæſar in hunc Auceps viueret vſq; diem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Si quem larga virum iuuiſſet copia fandi
Immunis ſtygijs Tullius eſſet aquis.
Si quem Martia vis texiſſet vulnere mortis,
Hannibal haud dubio viueret acer adhuc.
Si vim diuitiæ poſſent ſubuertere lethi
Fata, Mydas diues, non ſubijſſet, opum.
Nullus at immunis fatis homo viuit in orbe,
Serius aut citius, mors ſua quemq; manet.
Quis ſcit an vſq; diem contexant fila ſequentem?
Siue tibi Parcæ ſtamina nocte ſecent?
Quis ſcit, nùm mediam hanc poterit contingere lucem?
Solis ad occaſum numuè ſuperſtes erit?
Inclytus heu propera ſic morte peremptus Iannes
Sanus iens cubitum veſpere, nocte cadit.
Dumq; halitum reuocat per ſomnum, ſubdola tuſſis
Excitum ſomno ſupprimit, ecce, ducem.
Occidit ah dubia qua non ſperauerat hora,
Exſpiransq; tamen, ſe tibi, Chriſte, dedit.
Nota viri virtus, pietas clementia, candor,
Integritas vitæ, mens proba, pacis amans.
Qualem vix ſimilem præcelſo ſanguine cretum
Imperijq; ducem Teutona terra tulit.
Nam quibus excelſis fuerit natalibus ortus
Vel notum cuiuis arbitror eſſe palam.
Cui Fredericus erat Daniæ rex inclytus olim
Inſignis genitor Marte togaq; potens,
Quem genuit Daniæ rex ſtirpis in ordine primus
Chriſtophilus veteri clarus ab arce comes.
At Sophia illuſtri Pomerano ſanguine creta
Conſilio prudens fœmina mater erat.

Nata

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Nata Bugislai & generoſæ coniugis Annæ
Principe Sarmatiæ de genitore ſatæ.
Ad pietatis opus teneris aſſuetus ab annis
Nil habuit vera relligione prius.
Qualem deliri detecta fraude Papatus
Sparſiſti Arctöa diuc Luthere, plaga.
Hancq; propagari voluit per rura, per vrbes,
Et per fana ſoli mille ſonare ſui.
Idcirco ad iuſtum reditus quoq; contulit vſum
Corrupta quondam relligione ſacros.
Inſtituitq; ſcholam, quam cenſibus auxit opimis
Hîc vbi Borsholmi frondea clauta iacent.
Certus vbi Aonia numerus formatur in arte
Indigenûm, & gratis percipit ore cibum.
Quos modò poſt, iacto ſacri fundamine verbi,
Inſignes fama iuſsit adire ſcholas.
Vtquè magis ſtudium colerent pietatis & artis,
Munifica ſumptus præbuit ille manu.
Pòſt ſatis inſtructos vt relligionis alumnos
Præfecit fanis per ſua rura ſacris:
Qui vafra mytratæ culparent ſomnia Sphyngis,
Et rectum incuterent fando ſalutis iter:
Tum capita Auguſtæ doctrinæ pura docerent
Contexta in iuſtum relligionis opus,
Quod ſolum voluit per Cimbrica rura, per vrbes
Diuitis Holſatiæ perque ſonare ſolum.
Et fluere ad ſeros libris & voce nepotes,
Vnde hominum manet, non aliunde, ſalus.
Quod princeps adeò, vitæ dum fata ſinebant
Sedulus amplexus ſemper honore fuit:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Vt quoque non apicem mutari vellet in iſto
Vel quiduis addi diminuiue libro.
Quod tuus ò Daniæ rex, icto fœdere ſacro
Brunſuigæ genitor nectere iuuit opus,
Quod tuus extrema pater, acer Adolphe, ſenecta
Languidus aſſenſu conſtabiliuit opus.
Quod, Chriſtina, tuus genitor quoque marte Philippus.
A Carlo incluſus carcere texit opus.
Tu quoque nec quicquam mutatum es paſſus Adolphe,
Eonſilio Eizenij, iuditioq; graui.
Inclytus huic etiam conſtanter adhæſit Iannes
Illinc grande nefas degenerare ratus.
Quàm fuit hic ſacræ quoque relligionis alumnus
Sunt fana inditio marmore ſtructa domi,
Aurea quæ rutilis decorata tapetibus intus
Cœleſtes referunt culta nitore lares.
Lætus vbi Myſtæ ſacræ verba audire ſolebat
Quotidiè, & ritus concelebrare pios,
Et pro ſe, regionis item, populique ſalute,
Intima cœleſti fundere vota Deo.
Et quò liberior, quas gignit vita iugalis,
A curis poſſet ritè vacare ſacris,
Maluit illuſtri cœlebs ſine coniuge vitam
Degere, proliferum quàm ſubijſſe thorum.
Tum pietate pari quo proſpiceretur egenis,
Et miſeris largo munere ferret opem,
Pauperibus, largis exſtruxit ſumptibus ædes,
Dux vbi Rhomboldus conditur Elyſius.
Et quò ſuppeterent veſtes alimentaque egenis,
Addidit his veteris relligionis opes.

Nec

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Nec quicquam vanos Cameræ conuertit in vſus,
Quod ſacrum veteri tempore ritè fuit.
Vt vigil in natos chari ſtat cura parentis,
Prolis & excubijs damna futura cauet,
Illius & flagrans præſentia commoda quærit,
Et quacunq; poteſt parte leuare leuat.
Non minus affectu populum complexus Iannes,
Et pater vt patriæ fouit amore graui.
Exitium auertit, ſi quid ſuboleret, amarum,
Et populum miti ſæpè leuauit ope.
Ah quoties Borea ventos agitante furentes
AEſtibus & rapidis exuberante mari,
Ingemuit, ventosq; ſuæ ditionis ab aruis,
Quæ fœcunda freto proximiore iacent.
Diluuiumq; minax votis à littore flexit
Et precibus mulſit flammea corda Dei.
Qui ſolus rigidi gliſcentia ſemina Martis
Sæpius à patrijs depulit, arte, focis.
Bellaq; reſtinxit tacitis inflata fauillis
Otthoniæ Feudi lis vbi mota fuit.
Quam pius hic princeps conceptis legibus æquis
Diluit ingenij dexteritate ſui.
Et nè poſt obitum Daniæ inter nobile regnum
Cognatosq; duces bella cruenta forent,
Fœdere ſed certo pax intemerata ligaret
Dannorum reges, Sleſuitiæq; duces,
Ipſe reluctantes præſcripto tempore niſos
Inflexit ſenſus deniq;, Adolphe, tuos.
Et cum fratre palàm pro conſuetudine Feudi
Te domiuum agnouit, rex Frederice, ſuum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Tam fuit ipſa viro ſemper concordia cordi
Triſtis at inuiſum funebre Martis opus,
Vt de iure ſuo potius decedere mallet,
Quàm cum finitimis conſeruiſſe manus,
Et ſeries requiem ſancire nepotibus olim,
Semina quam belli linquere morte trucis.
Non oneri populo fuit vnquam, aut æris auarus
Plus æquo exegit viuè parauit opes.
Non tondere pecus nec enim deglubere totum
Aiebat munus principis eſſe viri:
Annua pendenti pro conſuetudine plebi
Non vltrà impoſuit plura tributa, ſuæ.
Sic tamen argenti pondus cumulauit & auri
Et Gaza tantas dite coegit opes,
Vt quoſuis cenſu ſuperaret & ære repoſto
Proxima Saxoniæ lata per arua Duces.
Nec minus hoc populus ſub principe pace beatus
Creuit, & vberius cenſibus auxit opes.
Et veluti quondam Saturni tempore diuo,
Et pecus & pingues accumulauit agros.
Quos hancusq; quidem cultos poſſedit in horam
Exitij immunis, Marte ſilente, metu.
Tu Deus ah porrò concedas otia pacis,
Et belli auertas omnia quæq; trucis.
Nam pius hic princeps, patriæ dum rexit habenas,
Adiunctis annis, bis tria luſtra, tribus
Plus regione ſemel non Martius ingruit horror,
Perq; vrbes & rus inſonuere tubæ,
Quando laceſſitus Daniæ cum rege potenti
Fratreq; Dietmarſis intulit arma viris.

Inq;

Inq; poteſtatem violento Marte redegit,
Nec gladium extraxit bellicus inde ferum.
Et licet ipſe truces ad belli contulit vſus
Conductisq; dedit largius æra viris:
Non tamen idcircò collectos pendere nummos
Et noua mandauit ferre tributa ſuis.
Tam Ducis in populum fauor extitit ardor & ingens,
Priuare vt ſolito vellere nollet oues.
Iuſtitiæ vindex & ſeruantiſsimus æqui
Præſcripto legum tramite iura dabat.
Et quoties populo ius dicere tempus adeſſet,
Ritè tribunalis præfuit ipſe throno,
Nec ius muneribus corrumpi aut ære ſinebat,
Iuditioq; pari diues inopsq; ſtetit.
At ſcelere imbutos enormi vindice pœna
Plexit, & innocuis præmia digna dedit:
Non tamen vſq; rigor duro ſub pectore ſedit
Laxaret pœnas quin bonitate frequens.
Vtq; ſeuerus erat, magis hoc placabilis iræ,
Sæpius ignouit crimina praua reis.
Inditio eſt nuper plebs ſeditioſa tumultu
Quæ Rensburga tuis clauditur aggeribus,
Quando rebellando vetitas deſtruxerat ædes
Neſcio quo cœco rapta furore nouo.
Et ſimul vrbe ruens arcis munimina præter
Expanſis ſignis depopulatur opus.
Et Maieſtatis læſæ rea criminis eſſet
Ob ſcelus infandum ſeditioſa cohors:
Supplicium mitis tamen huic capitale remiſit
AEreq; mulctatos puniit ipſe reos:

Parcere ſupplicibus, tum vi cohibere feroces
Principis officium credidit eſſe viri.
Moribus humanus nec non affabilis omni
Audiuit populi vota precesq; libens.
Nec leue certamen tanto cum principe plebi
Ingruit, & vulgô lis fuit orta frequens:
Hic clemens animo, nec trux, nec deuius æquo
Iuſtitiæ ſeruans, tum quoq; pacis amans.
Omnibus ardebat vitæ integritate probari,
Gratus & à populo laudis honore coli,
Hic vero obſequij ſtudijs, pietate fideq;
Virtutes tanti vincere velle Ducis.
Principis at probitas vulgus ſuperauit auita
Et nullo virtus interitura die.
Qui tanta cum laude ſuæ ditionis habenas
Flexit, & adiuuit relligionis opus,
Vt gratus ſuperis ſimul & mortalibus eſſet,
Dùm fato ſummum clauderet vſq; diem.
Non animo curæ fuit illi faſtus inanis,
Sed fuit antiquæ ſimplicitatis amans.
Nam candor factis fuit, & conſtantia verbis,
In ſibi coniunctos ſanguine fidus erat.
Præterea vitio fuit hic alienus ab omni,
Aulica quo vulgò vita ſoluta ſcatet.
Namque voluptatum fugitans nec prodigus æris,
Nec luxu indulgens deſidioſus erat.
Si quando à grauibus reſiderent otia rebus,
Et curis animum ſi recreare locus:
Pocula non Bacchi ſpumantia largius hauſit,
Vt plerunq; Ducum mos inoleuit iners.

Aſ

Aſt agitando feras fallebat temporis horam,
Triſtitiæ aut precibus corde leuabat onus.
Cæſare magnanimo mundi domitore Monarcha
Sobrior & tragico caſtior Euripide.
Nec minus exemplis & moribus extitit aula
Principis Aönijs tota referta viris.
Quæ ſacra virtutum velut officina refulſit,
Lucidus & ſacræ fons pietatis erat.
Quid reliquas animi contextam carmine dotes?
Quìs adeò princeps claruit ipſe pius?
Non mihi ſi centum loquerentur gutture linguæ
Si vis eloquij quod Ciceronis erat.
Non tamen illuſtrem ſatis haud virtutis egentem
Pro meritis poſſem tollere laude ducem.
Qui Dauida grauem vicit pietatis amore,
Delitias animi quem vocat ipſe Deus.
Qui probitate Titum ſuperauit Veſpaſianum
Delitiæ populi qui fuit Auſonij
Nam mihi, ſi vellem cunctas perſtringere laudes,
Difficile eſt, adeò cor premit angor edax,
Deficit & lachrymis mihi vox & faucibus hæret,
Et reliqua impedior facta referre Ducis,
Cum ſubit heſternæ facies lachrymabilis horæ
Qua fuit aduectum flebile funus equis.
Qui numero bis tres currum temone trahebant
Cui ſuper impoſitum triſte cadauer erat,
Quàm pedibus tardi pullo velamine nupti,
Quàm quoq; demiſſi naribus vſq; pedes,
Quàm curui ceruice, palàm quàm gutture ructus
Edere, quàm viſi more boare boum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Et quaſi participes rationis plangere luctu
Auditi, ob celebris fata ſuprema Ducis,
Inceſſere, iugo per triſtia colla reuincti
Aurigæ bini lora regente manu.
Funus vt accepit lugubri carmine Clerus,
Et cecinit tremula flebile voce melos.
Deinde Mareſcalcus cùm nuptæ pube iuuentæ
Et pueris aulæ, triſtis Adolphe, tuæ,
Pone Caballorum rector pullatus Iannis
Nobilium iuuenum concomitante globo.
Denique quæ fuerat præclaro ex ſanguine pubes
Corporis extincti fida miniſtra Ducis,
Et quibus excubijs nocturno tempore curæ
Et conclaue Ducis, ſole micante, fuit.
Tum quos concilijs fidos adhibere ſolebat
Ingenij inſignes dexteritate viri,
Omnes lugubri cooperti veſte, caballis
Inuecti exequijs ingemuere ducem.
Vt puer ater equo generoſo ſanguine cretus
Preceſſit ſolus flebile funus eques,
Præbuit & mœſto ſpectacula triſtia vulgo
Et mœroris equus publica ſigna dedit:
Vt duo Dannigenûm Frederici nomine regis
Conſpicui vera nobilitate viri,
Petrus Olympiacum cui ſtella dat aurea nomen
Marſcalcus Danici culta per arua ſoli,
Alter at Henricus, qui ius in vtroq; Ducatu
Dicit, & abſentis munia Regis obit.
Frater vt armipotens defuncti principis vnus
Quem toga velabat penſilis vſq; pedes.

Ditis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Ditis vt Holſatiæ quoq; dux generoſus Iannes
Germanus frater, rex Frederice, tuus,
Non minus oblongo capitis velamine nuptus
Et pullo toto corpore veſte niger,
Proximiore gradu comitati flebile funus
Et patrui & fratris condoluère necem.
Largius & lachrymis mœſti ſuper ora refuſis
Publica mœſtitiæ ſigna dedere grauis,
Quos Daniæ proceres & Feudi vtriusq; Senatus
Cui patrij incumbit publica cura ſtatus.
Et reliqui mixtim præclari ſtirpe ſecuti
Mœrorem lachrymis exhibuere ſuis.
Vt cum natabus præluſtribus vxor Adolphi,
Nupta genas pulla veſte animoq; gemens
Et velata caput lino ducis vxor Ioannis
Tecta genas madidas cætera pulla dolens,
Curribus inuectæ pullis quos axe trahebat
Crura tenus binus tegmine nuptus equus,
Cum conſorte ducum ginicæi duplicis aulæ
Virgineoq; nigro concomitante choro
Lugubri exequias decorarunt ordine triſtes,
Et cuiuis lachrymis commaduere genæ
Vt matronarum grex Cimbricus ore reuinctus
Quasq; dat Holſatiæ terra ſuperba nurus.
Vt puellaris Chriſto ſacer ordo dicatus
Indutus pulla veſte togaque frequens
Longius exequias vectæ extendère quadrigis,
Et gemitus mœſto corde dedere graues:
Vt totam implerunt querulis vlulatibus vrbem,
Et patriæ letho condoluere patris:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Vt porro obſtricti, dum fata tulere miniſtri
Et famulorum ingens fida caterua ducis,
Contractis humeris, curuæ ceruicis, ocellos
Tollere pertæſi, præq; dolore caput,
Corpore pullato complerunt agmine pompam
Conqueſti antiquum voce gemente ducem:
Tum regis famuli pileis velamine cincti
Poſt vtriusq; aulæ pulla caterua Dncis:
Deniq; nobilium famuli & ſine nomine vulgus
Omnes induti veſtibus ecce nigris:
Vt pullo exequias clauſerunt agmine mixtim
Mœſtitiæq; animo ſigna dedere palam:
Hæc etiam quia num turbata mente recordor,
Obuerſatq; oculos principis vmbra meos,
Quem nunc inferri funebri more ſepulchro
Cernimus innumeræ luce micante facis,
Præcipitant curæ mentem, & præconia laudis
Digna viro abrumpunt vlteriora mihi,
Cogor & in lachrymas per nares ire fluentes,
Et pro laude Ducis Triſte ſonare Melos.
Quem nece collapſum luget Germanus Adolphus
Vbertim lachrymis triſtior ora rigans,
Quemq; magis proprijs quondam dilexit ocellis,
Clam reducem gemitu poſcit, auetuè mori.
Tuq; duciſſa genis ſtillantibus, vxor Adolphi
Chriſtina, haud lachrymis abſtinuiſſe potes.
Nam tibi præ reliquis arcanos credere ſenſus,
Te colere, & viuens arſit amore graui.
Hoc magis & triſtis, quoq; nunc ſuſpiria ducis
Et deſiderio tangere iure Ducis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Et cum mellitis ex fratre nepotibus huius
Neptibus & teneris, veſte animoque doles.
Nec minus Holſatiæ Dux inclytus angit Iannes
Et mœſtus patruum luget amore ſui
Edit & illuſtris ſingultus illius uxor,
Guelphorum veteri ſtirpe creata Ducum
Vt maduere genæ lachrymis oculiq; rubeſcant
Et vultus gracilis, concidit omne decus.
Totaq; nobilitas, plebs ciuica, turba Colonûm
Ingemit, & patriæ plangit amore patrem:
Et deſiderio, lachrymis & voce requirit
Vt gregis amiſſo præſide plorat ouis.
Quem, ſi poſſibilis res viribus illius eſſet.
Hocq; opus humano ſtaret in arbitrio,
Vnguibus effoderet viuum, nunc lumine caſſum
Rurſus & antiqua ſede locaret ouans.
Tanta apud indigenas ſtetit huius gratia vulgò,
AEquus & in populum ferbuit huius amor.
Vos quoque qui funus ſacram hanc portatis in ædem,
Flos iuuenum antiquæ ſtemmate crete domus.
Præfertisq;, quibus dux eſt prægnatus auorum,
Octo bis inuerſæ caßide, ſcuta Ducum,
Vos vos, qui tanti celebri vixiſtis in aula
Conſortes menſæ, fida caterua Ducis,
Atq; huic ſeruitio præſtò, dum fata ſinebant,
Obſtricti prompto corde fuiſtis Hero,
Plangitis hunc meritò, ſingultusq; editis imos,
Et veſtros humeros funebre tundit onus.
Ah gemitu dignus, qui viuens antè leuamen,
Nunc onus eſt caſſus lumine triſte ſuis.

 Plangite

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Plangite iure quidem, qui prono ex tempore vobis
Deditus affectu more parentis erat.
Occidit, orbatos & vos genitore reliquit,
Et deſyderium nominis acre ſui.
Fallor? an aſcenſu ſonipes conſuetus herili
Flebile qui funus ducitur ante, gemens,
Mœreat ob domini quoq; fata ſuprema fidelis
Cui viuo dederat terga premenda frequens.
Vt capite innutans & utraq; ſtat aure retracta
Flaccidus, vt curas pectore triſtis alit,
Vt terram intuitus qua ſit tumulandus Iannes,
Grunnit, & amiſſo principe gannit iners.
Quid facerent homines, faciat cum talia brutum
Cui nil affectus, nil rationis ineſt.
Plangite quin homines, hac quotquot adeſtis in æde,
Et gemitus imo fundite corde genas.
Occidit Holſatiæ decus, & venerabile lumen,
Occidit Holſatici firma columna ſoli,
Occidit Holſaticæ telluris olympifer Atlas,
Qui ſibi vel humeris ſubdita rura tulit.
Occidit en virtutis honos, pietatis alumnus
Vnicus, & populi quo ſtetit alma ſalus.
Plangite iure quidem patriæ per rura parentem,
Perq; vrbes celebres ſubdita turba, ducem.
Plangite, ſed lachrymis ſint certi deniq; fines,
Nam licet occubuit funere, viuit adhuc.
Viuit adhuc anima, & cæleſti ſede beatus,
Conſpectu fruitur lætus adusq; Dei:
Quemq; pio viuens ſemper veneratus amore eſt
Nunc gremio inſidit, Chriſte benigne, tuo.

Viuit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Viuit adhuc fama poſt condita buſta perennis
Et licet exutus ſanguine, viuit adhuc.
Donec & Oceano miſcebitur Eidora curuus
Ditis & Holſatiæ gurgite limes erit.
Semper honos laudesq; ducis nomenq; vigebit,
Nec virtus vlla viuida luce cadet.
Interea placidè requieſcat fornice clauſum
Corpus, & hoc tumulo molliter oſſa cubent.
Et quia conflatum ſit humo redigatur in illam
Tandem vermiculis eſca futura putris
Nunc quoniam exequias de more peregimus orbi
O dux æterno non moriture die.
Et mœmore tuos ſub fornice clauſimus artus
Qui manet extremus funera ſolus honos.
Regis vbi Daniæ genitoris inane cadauer
Matris & vnguentis illita membra cubant,
Nec non Hildeſÿ Frederici præſulis olim
Et cathedræ antiquæ quam ſale Slya rigat,
Corpus & illuſtris requieſcit inane ſororis
Nunc antrum quintum te quoq; cœpit idem:
Saluete ô cineres & ſancti principis oſſa
Salue iterum atq; iterum dux pietate ſacer.
Saluete ô manes, ſalue memorabile nomen
AEternumq; vale, dux generoſe vale,
Donec ad ignitam, lituo clangente, ruinam
Qua polus & tellus ſciſſa fragore cadent,
Cum patre, germano, cum matre, ſorore ſepultis,
Per λογὸμ ex ſomnis excutiare Dei.
Et quibus indutus modo membris, carneq; ſtabas,
Conficiâre licet vermibus eſca prius,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Integer exurges, & nube veharis olympum,
Lætitiæ Angelici conſociande chori,
Qualis non hominum, prius auribus hauſta caducis
Ante, nec humano lumine viſa fuit.
Quæ ſatis eſſerri nequit vllius vbere lingua,
Et nunquam inceßit terrea corda prius.
Iamq; vale pie dux, cœli dignißimus hæres,
Viuis adhuc, vllo nec moriere die.
Æternumq; vale triplicis modo numinis hoſpes
Te lux læta beat, nos lachrymoſa manet.
Tu patriam repetis, miſeri nos orbe moramur
Te capit aula nitens, nos premit ægra dies.

ECHO FVNEBRIS.

CYmbrica cur modo gens, mihi dic ex vallibus, Echo?
Plus ſolito gemitus pectoris halat? Echo, alat.
Cur ita, cur populus triſtis videatur? Echo, & ater
Propter Iohannem ſiccine clamat? Echo, amat,
Quem filis præceps modo mors fatalis Echo, & alis
Ops hominum iußit claudere more, Echo mori
Scilicet hinc merito lachrymis plebs fundat? Echo inundat
Haud magis vllus erat, quo philolaus, Echo, ais.
Nam pietatis erat calor huic inſignis, Echo, & ignis
Et fauor in populum, qui modo mæret, Echo, erat
Pacis amans, nec erat belli ſtudioſior, Echo, oſor
Nec vita auſterus more ſinapis, Echo, ἅπαις
Ergo ducem pietas, probitas, pax planget, Echo, & anget
Dum ſyluis Echo voce ſonabis, Echo, abis?
Echo vale reſonans ſum mox rediturus, Echo, iturus
Nunc eo, tuq; vale condita valle, Echo, vale.

EPITA-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

EPITAPHIVM EIVSDEM DIGNISSIMI ET PIENTISSIMI PRINCIPIS.

Holſaticæ	*Lumen*	*Stirpis*	*Dux*	*Hic iacet*	*Eheu*
Lumen	*Cimmeriæ*	*Gentis*	*Fax*	*Aurea*	*Pacis*
Stirpis	*Gentis*	*Honos*	*Munimen*	*Iuris*	*Ianus*
Dux	*Fax*	*Munimen*	*Pietatis*	*Egentis*	*Aſyla*
Hic iacet	*Aurea*	*Iuris*	*Egentis*	*Nempe*	*Columna*
Eheu	*Pacis*	*Ianus*	*Aſyla*	*Columna*	*Sepultus.*

DISTICHON QVO ANNVS, NOX, LOCVS ET MORBVS CONTINENTVR.

HAnspyrgi exſpirat princeps, vbi, nocte, catharro
Tertia poſt ferias, tunc, Michaelis erat.

ALIVD QVO ANNVS SOLVMMODO CONTINETVR LOCO EPITAPHII.

MOEroris cauſſæ tres hoc in fornice clauſæ
Pax, probitas, pietas principis egregij.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 596 4°